



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XIII. Academies, & Gymnasia publica instituenda esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

fime, quia non licet his peccare; primus error capitalis est. Eruditus ex historia, ex Philosophia, ex stragematis, celeriter, & tutius rem decerneret, ceteri tardius. Error ille non militum est, sed rusticorum; solo furore opus esse in bello. Opus est Imperatore, qui militi gratus sit, qui feroces temperare, torpentes erigere, timidos firmare possit: qui socios retinere, duobios allicere, inimicos mitigare possit, qui hosti potentiam detrahare, socios suspectos reddere, ipsos inter se committere queat. Si aliud non esset bellum, quam acies, & in acie solis corporum viribus, more Andabatarum pugnaretur, forte minor esset humanarum rerum cognoscendarum necessitas. An tu obfuisse Xenophonti Philosophiam Socratis, & omnium historiarum cognitionem arbitris? Iulius Caesarideo tardius vicerit, quia doctrinam amauit? Luc. lib. 10.

Caesar bello
& studiis
clarus.

*Fama quidem generi Pharias uie duxit ad vrbes,
Sed tamen & vestri. media inter praelia semper,
Stellarum, caelique plagis, superisque vacanti
Nec meus Eudoxi vincetur salsibus annus.*

Pericles Graeciae fulmen, annos quadraginta, eloquentia populum, fortitudine militem, utrumque prudentia gubernauit. Anaxagorae Philosophi, ille discipulus fuit. Dione vix meliorem virum vix sapienterem tyrannicidam Graecia agnoscit, at omnia illa ornamenta, Platonem se debere professus est. Maior eruditione, & nomine, Timotheus praestantissimus dux, ab Isocratis disciplina exiens, Graeciae res instaurauit. Architas Tarentinus, Philolaum, Xenophon Agefilaum erudit.

A doctis
magni duces.

Athenienses Romam, de maximis rebus tres Philosophos miserunt, Carneadem, Critolaum, Diogenem, & de bello, & Societate, tamen maxime tractatio erat instituta. Zeno Eleates rem bellicam ex proposito docuit, atque ex eius Schola plurimi egressi sunt Tyrannicidae; iure, an iniuria, non disputo; hoc assero Scholam eius fuisse plateam Maortiam. Lucullus legendo, subito factus est imperator, & vires Mithridatis ita fregit, ut vincendum aliis traderet. Ipse Tullius, & triumphum ambiuit, & prudentius de bello ciuili, quam Pompeius iudicauit.

Legendo
facti duces.

§. 7. Ego nec Virgilium, nec Horatium imbelles fuisse arbitror, Ennium etiam fortem virum. Alcæus, Stesichorus, Archilochus, bello etiam nobiles fuere, quamuis posterior potius clypeum relinquere, quam vitam decreuerit.

Paci igitur, & bello literarum ex aequo necessaria sunt. Improbe fecit Agrippina, cum Neroni imperato negauit conuenire philosophiam, timebat enim ne literis excultus, & potestate matris citius exiret. Nec recte Carolus filium, Ludouicus Vndecimus scire plus noluit latine, quam illa verba: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.* Nam certe multa in eius regno desiderata sunt.

Bellicosi im-
peratores
literati.

Non abducunt à rebus gerendis literæ, si cum prudentia iungantur. In literis enim & acta, & agenda discimus, & ante omnia oculi detestari. Seuerus, Pertinax, Antoninus, quod literati fuere? Tacito acclamatum est. *Quis melius, quam literatus imperat?* & optime sane imperasset, nisi visitata perfidia, eum de medio sustulisset. Gordianus orator, & poeta fuit, Mithrihem praefectum fecit, & eius consilio recte imperium administrauit. Claudam gemmea sententia Iulii 2. Pontificis. *Literarum scientiam in plebeis argentum esse, in nobilibus, & principibus gemmas.* Addam ego; in ducibus victoriam esse.



CAPUT XIII.

Academias, & Gymnasia publica instituenda esse.

§. 1. **A**CADEMIAM ab Academo Heroe ita dictam, Eupolis, Timon, aliique testantur, erat in suburbano Athenarum, à porta Dypilo lex stadiis. Locum fuisse insalubrem, & aridum refert Cælius. Et Platonem excusat, qui studiis delegerit, quod eo modo cum prospera nimium corporis valetudine vteretur, eam premere luxuriantem, loci incommotis velle. Verum cum maxime studiosis sit opus commoda valetudine, atque aura, Plato autem celebritatem, frequentiamque Academiae suae quereret, persuadere mihi non possum, discipulos eum deterere, & abigere quenquam in amoenitate Gymnasii voluisse. Quotus enim quisque est, qui non valere potius, quam discere malit? Aut qui discendi causa, pestilentiosam domum adire velit? Alia igitur causa querenda, cur Palladi sacrum Gymnasium, in Academia instituerit: Quam ego esse existimo, quod ἐμεγαλοπόλεον ἁδῶν locus quæreretur quietus, à turbis nautarum, à luxuria hororum urbanorum; nam mentis exercitationes quiete, & solitudine gaudent. Nec ad manum alius erat, aut in potestate Platonis. Verum de salubritate, atque amenitate Academiae, paulo aliter sentiendum est, si Plutarchum in vita Cimonis audimus, Is enim locum aridum, ductis aquis purissimis irriguum fecit, & nemore vmbroso conseruit. Tria fuere Athenis Gymnasia, Academia, Lyceum, & Stoa, Aristotelis peripatos erat in Lyceo, in porticu docebat Zeno princeps Stoicorum, Platonis erat Academia, quæ nomen retinuit, ut omnia clara, & Monarcharum immunitatibus fundata Gymnasia Academiae vocentur. Academia constat docentium, & discipulorum multitudine, priuilegiis, & quadam velut Republica literatorum.

Academia
Athenis.

An loco
insalubri.

Academia
amanita.

§. 2. Erigenda Academiae ius est penes Pontificem, & summos Monarchas, cunctaque Respublicas, quoad literas, & scientias ciuiles; nam quod ad ius sacrum, Theologiamque spectat, eius cum auctoritate docendi, potestas, à summo religionis antistite peti debet.

A capituli
ligionis
se
era Aca-
demia per-
det.

§. Thomas tract. contra impugnantes religionem. Ad Papam, Regem, Principem eam potestatem refert.

Ad principes quod attinet, ad eos pertinet, ut statuunt, quas facultates in prouinciis suis doceri velint, quos in illis versari; priuilegia, & immunitates concedere. Non tamen id efficere, ut Scholæ illæ in aliorum principum regnis, pro Academicis habeantur, si tamen accedat summi Pontificis approbatio, etiam illæ habentur ratae. Magni autem interest, supremas docentium cathedras, à summa potestate dependere.

Extracur-
ritorium
ius non est,
sed proba-
tas tamen
Academiae
etiam extra
ri venerat-
tur.

Primo quidem locus deligendus est, studiosis accommodus: In quo requiro aëris subtilitatem, salubritatemque; Fertilitatem, aut faciles accessus, quibus necessaria importari queant, celebritatemque etiam, & ciues bene moratos.

vrbes Aca-
demicae.

Aëris salubritatem in primis princeps aestimabit. Nam & ingeniis conducit, & corporum sanitati, incolas etiam meliores, & decenter moratos habet. Nollem itaque Thebis Boeotiis Academiam constitui, ne crasso in aëre, ingenia quoque politiora obbrutescant. Sed in ipsa Attica, Athenis artium inuentricibus, ubi est *ἐκαστὸν τῶν ἐν ἀδῶν*, ubi est totius Graeciae commune Musæum. Incolas enim dura, & rudis indole, ferre non possunt mitiores musæ.

Salubri.

Fœcun-

Celebres.

Fecunditatem agri, aut fluminum, portuumque commoditatem necessariam nemo non videt, ut magna multitudo alimenta suppeditentur. Alioquin sumptus exauriuntur studiosi, & incolæ grauatur.

Hinc consequitur in celebribus urbibus constituendas Academijs, aut in cultis oppidulis quibus finitima sint flumina, Emporia, celebrataque. Vsitatum id vetustis fuit. Athenæ, *apud 167. an. 352.* propter cæli temperiem, loci commoditatem, diligentiam rerum optimarum, acutissimos ciues habuerunt. Cicero pro Flacco, Euf. l. 10. ca. 2. operam itaque liberalibus artibus, aut Philosophiæ Athenis dedisse honestissimam erat. Cicero lib. 1. Off. *Quamquam te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet præceptis institutisq; philosophiæ, propter summam & doctoris auctoritatem, & urbis: quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen ut ipse ad meam vilitatem, semper cum Græcis latina coniungi, neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci: idem tibi censeo faciendum, ut par sis in vtriusque orationis facultate.*

Honestum
Athenis stu-
dijsse.

Et libe 3. Suscepisti onus præterea graue, & Athenarum, & Cratippum quos cum tanquam ad meritum bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est. Quare quantum conueni animo potes, quantum labore contendere (si discendi labor potius est, quam voluptas) tantum fac, ut efficias: neue committas, ut cum omnia suppeditata sint a nobis, tu te tibi desuisse videare.

In eo ipso loco non putauit Cicero infra suam dignitatem esse, si philosophiam ipse quoque profiteretur, ut l. 3. testatur. Romani sane principes illuc proficisciebantur, Aulus Gell. l. 1. c. 2. Apud Hieronymum ad Marcellum. Dicitur præclarus orator quendam reprehendisse, quod Græcas literas non Athenis, sed alibi didicisset. Diu mansit clarissima ciuitati illa dignatio. Nazianzenus, & Basilus magnus ibi studuerunt. Verum postea & studiorum gloria, & urbs ipsa defecit.

Athena ma-
gi studijs,
quam po-
tentiâ flo-
ruit.

§. 3. Athenarum tamen laudem, celebritatemq; Byzantium magna ex parte in se conuertit. Imperii namque maiestatem secuta artes, sedem Constantinopoli posuerunt, adeo ut iam Athenæ magis antiqui nominis umbra, quam præsentis bono clarent. Ita Gregoras, & Fred. Imp. ad Nicol. V. Adiuerunt literas mirifice, Theodosius, Valentinianus aliique. Addita & regia domus, in qua duodecim doctissimi, lectissimiq; habitarent, & consulentes responderent. Zon. l. 3. Quos Leo Leonoclasin inoffensos, cum domo, & libris exulsi, atq; ab eo tempore studia in urbe regia elanguerunt, increuitque barbaries, & tandem imposita est, durissima seruitus Turcica. Conati quidem sunt, Bardas, Leo philosophus, Constantinus eius filius, Constantinus Ducas, Alexius Comnenus, Andronicus, Logotheta, in pristinum florem reducere Scholas, & studia, sed schismate, hæresi, bellis omnia conculcaverunt.

Byzantiū
florentissi-
me claruit
studijs.

§. 4. Vetustate, & celebritate pene par fuit Atheniensium Gymnasio Cranium Corinthi phrontisterium, in quo & Dionysius regno pulsus, in fortunæ ludibrium literas docuit. Magna illa ciuitas, & duodius portubus insignis fuit, Europæ, & Asiæ tam mercibus, quam ingenijs celebrata. Cynicorum ibi maxime secta floruit, moribus ciuitatis corruptissimis cõsentanea. Nam ante semper infamis, D. Pauli tempore, impudentia, ut ita dicam, stabulum fuit.

Corinthi
Cranium.

Rhodiorum etiam nobilissimum fuit Gymnasium, sed præcipue in eo Mathesis, & oratoria facultas floruit. Nec Romanorum tantum postremis temporibus nutante iam Republica, & in Monarchiam tendente; nam & Aristippus ibi de Mathematicis discit, & cum in litore notas eruditæ arenæ naufragis aspersisset; Bene sperare iussit, quod & ibi hominum vestigia apparet. Panarium, Stratoclem, Andro-

Rhodiorum
Gymnasiū.

nicum, Leonidam, Pisandrum, Eudemium, Dionysium Thracem, Apollonium, & ante hos exulantem Æschinem, viros doctissimos habuerunt. Videtur mihi Rhodos propter opportunitatē navigationis, & loci amœnitatem, Athenis certasse, cum principes Romani eo liberos ablegarent. Cicero filium ibi, & nepotem Quinti filium habuit. Neq; id Athenæ ignorabant, multi n. Athenienses Rhodi eloquentiæ operam dabant. Laert. l. 4. Id factum crebris urbis cladi- esse arbitror, obsidio Sullana, atque alia incommoda professores artium fugarunt. Romæ sero studia sapientiæ in precio haberi coepta, sed magno deinde honore culta sunt. In primis igitur uribus floruerunt bonæ literæ & Gymnasia, inter quæ eminet Berytense, quæ Phœniciæ celeberrima ciuitas est, post Sidonē prope Lyci amnis ostia. Iustinianus pulcherrimam vocat, & eadem literarum prærogatiua cum noua, & vetere Roma donat. Hec autē inquit tria volumina a nobis composita, tradidit (discipulis) tam in regijs uribus, (Constantinopolitana & Romana) quam in Berytensium pulcherrima ciuitate, quam & legum nutriticem bene quis appellet, tantummodo volumus, quod & iam à retro principibus constitutum est: non in alijs locis, quæ à maioribus talis non meruerint privilegium. Quia audimus, etiam in Alexandria splendissima ciuitate, & in Cesarientium, & in alijs quosdam imperitos homines duagari, & doctrinam discipulis adulterinam tradere, quos sub hac interminatione ad hoc conamine repellimus: ut si ausi fuerint imperiosum hoc perpetrare, & extra urbes regias, & Berytensium metropolim hoc facere, denarium librarum auri poena plectantur, & reiciantur ab ea ciuitate, in qua non leges docent, sed in leges committunt.

Rhodi Ro-
manorum
Gymnasiū.Berytense
Gymnasiū.Roma, By-
zantium,
Berytus in-
ris docendi
sedes.

§. 5. Non omittenda antiqua, atq; omnium nobilissima Academia, q. Iudæi non in aliquo deserto, sed in urbe principe, ubi sedes regia, & templum, atq; omnia sacra gentis constituta erant, collocarunt, cuius augmentum Salomoni debemus, qui à cedro Libani usq; ad Hyflopum, q. egreditur de pariete disputauit. Fere ibi plurima Gymnasia, diuersarum sectarum, & diuersarum nationum, negat Iosephus philosophiæ, & Græcas artes ibi doctas, imo negat hoc uisuisse. Verum id sane intelligendum; nam Philosophiam illæ errantem, merito excluderunt, si quis n. hodie voluptatem summum bonum esse doceret, si cum Academicis de omnibus dubitaret, si cum Peripato mundi æternitatem assereret, si fati Stoicū inuheret, merito legibus & poenis doctores errorum proscribebantur. Cætera nequaq; vetita erant, Grammaticen Hebræam ad sacras literas intelligendas, Græcam ad profectos institutos addiscibant, leges diuinas, & patrias omnes ex instituto docebantur. Eloquentiam, Poësin, seu Hymnodiā, Logicen, Physicen, & Mathematicas disciplinas apud Iudæos in precio fuisse, floruisseq; nemo ignorare potest, qui considerauerit has scientias, Ægyptios ab Abrahamidis, ab Ægyptijs Græcos didicisse. Essæi epicurismum Sadduceorum, & hypocrisim Phariseorum detestari, ad lacu asphaltitico peculiare scholas, in quibus etiā liberales artes docuerunt, seorsum instituerunt. De nobilissimis Gymnasijs Alexandrino, Antiocheno, Ephelino, Cesarienti, Nicomediensi nihil attinet dicere: cum et Heliopolitani, Carthaginenses, Cyrenenses publica Gymnasia institutissima habuerint. Priscos prudenter de literis iudicantes, posteri imitati sunt. Bononia, Ferraria, Florentia, Mediolanum, Neapolis, Patavium, Pisa, Cesar Augusta, Conimbrica, Granata, Hispalis, Salmantica, Toletum, Valætia, Parisii, Andegauum, Aurelia, Burdegala, Lugdunum, Pictauum, Rhemi, Tolosa, Louanum, Colonia, Treuiri, Moguntia, Vienna, Praga, Erfordia, Cantabrigia, Oxoniū Academijs habent. Nō ignoro in Germania præsertim in minoribus oppidis interdum esse publica Gymnasia. Sed eorum vel est commodissimus situs, habentq; populosas circū ciuitates, ut Molischemum,

Ierosolymis
Gymnasiū.Philosophiæ
errantium
Ierosolymis
non doce-
bant.Gymnasia
urbium ce-
lebraria.Academia
magnarum
sunt urbium.

Academiae
splendorem
conciat
urbium ma-
gnitudo.

viante annum Serenissimus Leopoldus Archidux Austriae, antistes Argentoratensis & Passauensis, novam Academiam extruxit. Vt Padiborna, vbi Welfphalorum ingeniosa, & gnaua genti Reuerendissimus Episcopus, & Illustris Princeps Theodorus publicum Gymnasium fundauit. Neceffe est aut loci esse aliquam celebritatem. Quae non ex ciuium multitudine duntaxat, sed ex principum, atque aulae praesentia, ex cleri illustri doctrina, & splendore consequitur. Neque enim quisquam sine risu Bionis Boristhenitae vanitatem meminisse potest, qui ut Scholae auctoritatem compararet, nauticam plebem Scholasticis indutam vestimentis in Gymnasium traxit. Quantum ille aberat ab ea, quam docebat, philosophia? Virorum igitur doctorum, & honoratorum in urbibus Academicis frequentia postulo. Haec enim res facit, ut morum ciuitatem, communitatemque cum literis imbibant adolescentes. Deinde professores ipsi in luce reipublicae maiore diligentia, dignitate, alacritate difficilimum docendi munus ob-eunt, quaque caute prudentia suadet, in oculis magnatum, ac censorum euitant. Denique cum honos aliarum artes, omnes autem Academiae dignitatem, atque honorum diuersos gradus inter suos partiantur, non est eorum nisi in magnis urbibus, aut coram principum, nobiliumque consensu aestimatio.

CAPVT XIV.

Professoribus et studiosis priuilegia danda,
et quae conueniant.

Priuilegia
praecipua
studio sapi-
entiae debentur.

§. 1. Priuilegia priuatorum, non sunt detrimenta Reipublicae. & multorum fortibus viris inuidente malignitate obiectari solet. Cum enim in iustitia, medium non ex analogia arithmetica constituitur, ut tantum habeat Titus, quantum Caius, sed Geometrico censu, ut ea sit laborum, & periculorum Titum remuneratio, quae est Caii, & pro magnitudine operis, & personae dignitate merces reddatur, non est iniquum inaequalibus, dare inaequalia. Cum vero inter omnia humana, sapientiae studia, primum sibi locum vendicent, magno honore, & immunitatibus ornata sunt. Si igitur laurea decernitur victori, si victus in Prytaneo, si immunitas a vectigalibus, si alia ad fortitudinem inuitamenta; quanta est habenda cura sapientiae, quae fortitudo, caeteraque virtutes reguntur? Priuilegia porro sunt vel locorum, vel studiorum, & professorum in locis priuilegiatis, ut vocant, operam studiis nauatium. Vtraque rerum, & personarum. Omnia merito conceduntur, nam & ciues quibus Academia committitur, honoratos esse par est, ut erga eruditos, studia, studiososque recte afficiantur, potest illis & velint, & possint.

Priuilegia
locorum, &
persona-
rum.

Athenien-
sium priuilegia.

§. 2. Primum quidem est, ut commodis, libertatibusque prospiciatur urbibus Academicis. Athenienses multis donatos priuilegiis fuisse historia refert. Amisso enim imperio Graeciae, & libertate, multo quietius sub Romanorum imperio, literarum praesidio, quam cum suis legibus viuerent, floruerunt. Praecipue eos fouit Adrianus, qui pecunia, frumentoque annuo, studia eorum honorauit, qui Chephalemam donauit, ita Dio Cassius, Sex. Aur. Victor. Sed vicerat iam olim Adriani munificentiam Demetrius, qui defectione eorum, & dictis offensus, frumentaria tamen largitione, pressos inopia leuauit. Inciuius iniurias suas ultus est Seuerus imperator, qui priuilegia eorum imminuit.

Quae priuilegia
urbium
Academicarum.

Dignitas.

Possunt ergo omnia, quae pro ratione nationis, opidorumque natura negotiis, & situ, ornare, & augere Academicam urbem valent, concedi, qualia sunt: Patrologia dignitatis inter alia oppida, cum enim senatum Academicum sapientissimum ex Theologis, Iurisperitis, Medicis Philosophis, conscriptum contineant, non est dubium urbicam quoque curiam consuetudine doctissimorum virorum, & con-

silio sapienter fore. Deinde quorundam vectigalium immunitatem, praesertim, quae annonam, & comestus grauari solent, permittenda arbitror. Generale est enim hoc, ut in variis nationes impensum beneficium. Itaque quemadmodum nobilissima Germanici regni sedes Augustanum, toto imperio negociandi libertate, portiorumque immunitatem accepit, quod Augusti Imperatores habitationem ibi collocaissent, ita quoque benignitas principis requirit, ut urbem, quaeque sapientia, virtutis, literarumque domicilium esse voluit, quasi pater nullo fisci damno magnificentius sustentetur, quam tamen detrimentum, numerosa studiorum multitudo alio modo compensabit. Tertio, si principi integrum non est totum Reipublice indulgere, in eos tamen potest esse liberalior, quorum in adibus, victusque studiosi diuersantur; sic enim futurum est, ut minore sumptu, & honestiora hospitia consequatur.

§. 2. Secundum priuilegium est, ut destinato ciuitatis, vno, alteroue loco, & publice artes doceantur. Id omnino necessarium videtur; Magni enim errores priuati, ac clancularii doctores, qui omnes mercenarii sunt, inducere possunt. Theodosius & Valens, veterunt alio loco Romae doceri, quam in capitolio. L. vni. de li. stud. urb. Romae l. 2. c. 18. Nec priuilegiis uti posse iudico, nisi eos, qui publico loco, publice docerent.

Iulianus sane Alexandrinus, & Caesariensis professio iuris Ciuiilis interdixit, quod indocti lucro inhiantes, iuuentutem prauis opinionibus imbuerent.

§. 4. Doceri etiam in monasteriis, & a religiosis, scientiae possunt. Atque ita olim in vfu fuit. Trithemius libro de laude scriptorum Manual. ca. 16. Nec oportet vos propter studium monasterium deferere: quia vnde proficiatis, domi potestis inuenire. Multos enim doctissimos monachos olim in ordine nostro claruisse cognouimus: quos tantum in caenobiis studuisse scimus. Beda presbyter, & monachus vnde cumque peritissimus, septennis caenobio traditus fuit: in quo quicquid scripturarum didicit, hausit. Cuius discipuli fuerunt inter ceteros eruditissimi. Alcuinus pceptor postea Caroli magni, Claudius, & Ioannes Scotus monachi, in omni doctrina tam diuina, quam seculari excellentes. Graeco & latino sermone instructi: quorum multa praeciosa extant opuscula: Rabanus Abbas, & Moguntinus Archiepiscopus pene adhuc puer Fuldensi monasterio traditur: qui quantum in omni scientia profecerit, eius volumina testantur. Hunc tamen Abbas suus Fuldensis studii causa, in Fraciam misit ad Alcuinum Abbatem, cuius iam fecimus mentionem, sub cuius magisterio, multis annis perseuerauit in caenobio. Strabus monachus Fuldensis, discipulus, & scriba Rabani Abbatis fuisse dicitur: qui iuuenis caenobio datus, doctor insignis effulsit. Sic Haymo, sic Norgerus, sic Hermannus Contractus, sic alii pene innumerabiles monachi doctores excellentes sunt habiti: qui sub regula S. Benedicti humiliter conuersantes, caenobia pro Gymnasiis habuerunt. Nec dicimus illis defuisse magistros, qui aliorum preceptores habiti sunt. Magistros omnino habuerunt: sed monachos, & regularis vitae consocios, qui eos non minus vita, quam doctrina instruebant. Nos quoque, magistros forsitan inueniremus: si vellemus esse discipuli. Nisi enim humilitas, & amor scripturarum mutuo sibi consentiant: monachorum studia nec expediunt ordini, nec proficiunt. Amor enim scripturarum sine humilitate, regularis vitae disciplinam destruit: humilitas sine amore, ad scientiam earundem non peringit. Qui ergo in caenobio doctus fieri desiderat: hac duo inuolabiler conseruet. Imitemur S. Patres, diuinis scripturis cum humili amore insistentes: & quod illis gratia diuina contulit, nobis orantibus, & legentibus sedule non negabit. Quanto enim quisque in lectione assiduus fuerit, tanto fructum ex eis vberiore capiet. Fructus autem, quem in Sacris scripturis quarimus, amor Dei, & proximi est, & nostri agnitio piissimi Saluatoris.

Ea causa plerique studia Theologica ad religiosas domos, aut personas esse delatas, hodieque videmus. Olim quoque Gregorius magnus, ab haereticis Pelagianis, Britannias repurgauit, sacras lectiones monasteriis delegando. Nec abhorrent ab eorum instituto, rationes. *Non debet religio sum doceri, Theologia vel ea qua ad campum*

Publica se docentium industria, ne vel bona, vel mala lateant.

Olim in monasteriis doctissimi viri fuerunt

Non debet religio sum doceri, Theologia vel ea qua ad campum